

- 1229 Misit & ad Marcum Sanutum , ut ad tollendos ex insula latrones , eosdem perpetuos hostes , cum quam maximis posset copiis in Cretam transiret : insulanos dicere ad aper-tam defectionem spectare , quorum consilia nisi subito armorum terrore opprimerentur , fore ut paulo post tota insula a Veneto alienaretur imperio . Tum ille in tanto Rei-publicæ discrimine haud cestandum ratus , armis repente sumptis , in Cretam transmisit : ibi ad cohibendos hostium motus opportuno loco oppidum fundasse dicitur . Ea re ter-riti hostes , nihil tamen ex sua pertinacia remittentes , ad Joannem Vatazum ( qui Lesbum insulam in Ægeo mari habebat , quiq[ue] non pauca alia Imperii loca ad eam diem armis occuparat , adeo ut se jam pro Græciæ Imperatore gereret ) mittunt : cui per legatos insulæ principatum , ejec-tis Venetis , promittunt , si tempestiva sibi mitteret auxilia , atque ea ipsa tam valida , ut ad ejiciendum hostem fatis essent virium suffectura . Erant ea tempestate Vatazi opes haud contemptibiles : quippe quem Hexagonarum Rex ( qui circa Ponticum mare se quoque Græciæ Imperatorem nominabat ) novo födere , novaque affinitate sibi junxerat , eo consilio , ut Byzantii imperium communi nomine oppugnarent . Ægre tulerat illud , quod Rubertus adolescens , Petri Imperatoris filius , purpuratorum quorundam consilium fecutus , affinitatem Hierosolymitani Regis ( qui præ-ter nomen nihil ex tanto regno retineret ) suæ prætulisset . Tres igitur & triginta longas naves in Cretensium auxilium Vatazus mittit . Sub hostium appulsum Marcus Sanutus , pecunia , ut dicitur , a Vatazo corruptus , cum omnibus copiis insula excessit . Tum Vatazanæ classis præfetus ad urbium oppugnationem conversus , Marco Quirino ad dedi-tionem compulso , Rithymnam recepit . Quirini ditionem secuti Margaritus Fuscarenus , Milopotamum , Conradus Milenius , Castrum novum hostibus tradidere . Nec ad pri-mum eorum conspectum facta est deditio , verum aliquan-diū oppida ipsa prius oppugnata sunt , quam dedita . Cat-talus Avenalis , qui castellum quod Bonifacii dicitur , cum valida manu iniverat , præsidium & oppidum impigre tue-batur :

1231  
Cretenses  
deficiunt ad  
Joannem  
Vatazum.